

XX

AD MAECENATEM

Strophe Alcaica

Nōn ūsitātā nec tenuī ferar
Pennā bifōrmis per liquidum aethera
Vātēs ; neque in terrīs morābor
Longius ; invidiāque māior

Vrbēs relinquam. Nōn ego, pauperum
Sanguis parentum, nōn ego, quem vocās,
Dīlēcte Maecēnās, obībō,
Nec Stygiā cohibēbor undā.

Iam iam resīdunt crūribus asperae
Pellēs ; et album mūtor in ālitem
Superne ; nāscunturque lēvēs
Per digitōs umerōsque plūmae :

Iam Daedalēō | ōcior Īcarō
Vīsam gementis lītora Bosporī
Syrtesque Gaetūlās, canōrus
Āles, Hyperboreōsque campōs.

Mē Colchus, et quī dissimulat metum
Mārsae cohortis Dācus, et ultimī
Nōscent Gelōnī ; mē perītus
Discet Hibēr, Rhodanīque pōtor.

Absint inānī fūnere nēniae,
Lūctūsque turpēs et querimōniae :
Compesce clāmōrem, ac sepulcrī
Mitte supervacuōs honōrēs.